



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Cogitationes, Sive Considerationes Christianae Pro  
singulis Anni diebus**

Complectens Januarium, Februarium, Martium

**Nepveu, François**

**Monachii, 1709**

Dies 16. De relapsu in peccatum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60495](#)

**Januarius.** Dixi : confitebor adversum me injuriam meam Domino ; & tu remisisti impietatem peccati mei. *Psal. 31. v. 5.*

Malè proni in vulnera , pejus ad remedia verecundi. *Bern.*

## DIES XVI.

### De Relapsu in peccatum.

#### I.

**F**rquentes tui relapsus pœnitentiam tuam suspectam reddunt. Confessionum tuarum valorem magni facis ; & si cadis , ais : saltem per pœnitentiam à peccato resurgo. Verùm de Confessionum tuarum bonitate dubitatur ; quòd, etiam si resurgas , mox recidis. Utrum verò meliori nititur fundamento , dubium hoc , an imaginaria tua securitas ? Voluntas licet mutabilis sit, non illico ab uno ad alterum extremum transit, à summo peccati odio , quod in vera pœnitentia inveniri debet , ad summum peccati amorem , qualis in peccato lethifero , quod Creaturam Deo præhabet , semper invenitur. Animus à magno odio tam subito non deficit ; nunquam serio ab inimico abalienamur ; cum quo tam citò & facile redimus in gratiam

tiam. Credendum non est , hominem Januarius,  
plenè fuisse sanatum , qui repente in prio-  
rem morbum relabitur.

II. Frequentes tui relapsus pœnitentiam  
tuam suspectam reddunt , quia de volun-  
tatis tuæ sinceritate dubitandi ansam præ-  
bent. ánce credibile est , voluntatem es-  
se sinceram , efficacem , cùm ea nun-  
quam ferè effectum suum habet , et si is in  
potestate nostra sit. De voluntate hu-  
mana idem , quod de Divina in hoc rerum  
concursu dici potest : velle nimirum , idem  
esse , ac facere : éstque ridiculum tunc di-  
cere : Evidem volui ; sed non feci : nam  
si voluisses , cùm res tota penes te fuerit ,  
fecisses : quia verò non fecisti , argumento  
est , te non voluisse. An non penes te est ,  
Divina adjuvante gratia , quæ tibi nun-  
quam deest , in hoc peccatum non relabi?  
Id Deo centies promisisti : in tua erat pote-  
state , promissis stare. Ad hoc toties ha-  
bueristi gratiam , quoties eâ uti nolueristi , quis  
credat , te bona fide cum eo egisse , & pro-  
missis ei factis sincerè stare voluisse , quibus  
nunquam stetisti ?

III. Frequentes tui in peccatum relap-  
sus pœnitentiam tuam suspectam reddunt ,  
quia causam præbent dubitandi , an gra-  
tiam.

Januarius.

tiam Sacramento propriam acceperis. Certissimus pœnitentiæ effectus, si ea vera, est, gratiam Sacramenti conferre. Hæc verò virtute pariter certissimâ heroicâ nos armat fortitudine contra aut peccati illicia, aut tentationes eó instigantes, cautos præterea reddit ad evitandas peccandi occasio-nes: ubi verò hoc peccato resistendi robur non adest, sed deploranda eidem conser-tendi levitas, si loco præcautionis occasio-nes evitandi adest propensio eisdem se denuō exponendi; an non meritò judica-mus, causam (veram videlicet pœniten-tiam) deficere, ubi effectus deest ei ne-cessariò connexus? an non dicere meritò possumus, ignem non adesse, ubi calor non sentitur? an non meritò credimus, gratiam Sacramenti non adesse, ubi nulla cernitus morum emendatio?

Utere tribus hisce regulis ad judicandum de-penitentiarum tuarum bonitate; & si haeratio-nem tibi præbent hac de re dubitandi, statue ne-cessarijs uii remedij ad emendandos hosce defe-ctus, quos in illis deprehendes.

Displicer enim ei infidelis, & stulta pro-missio. Eccl. 5.

Ridiculum est dicere: volui, & non feci, Bern.

DIES